



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ecclesiæ Avtoritate, & de ueterum scriptis Libellus

Melanchthon, Philipp

Vitebergae, 1550

VD16 M 3084

De Hieronymo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35753

DE ECCLESIA.

Et similes sententiae aliquot reperiuntur
in alijs locis apud hunc scriptorem, ut de voca-
tione gentium. Item ad Demetriadem virg-
inem, ubi inquit: Nec ob aliud datur præceptum,
nisi ut queratur præcipientis auxilium, cetero-
rum eius titulo extant quædam præparationes
ad Missam, & alia quædam inania, quæ videntur
esse suppositicia.

De Hieronymo.

Hieronymus in versionibus utilem operam Ecclesiæ nauauit, & quanquam enarrationes Prophetarum sunt cœnuæ, tamen historiarum explicatio sumpta à ueteribus est utilissima. De dogmatibus pauca scripsit. Aduersus Ioni-
anianum ualde confirmat falsas & supersticio-
sus opiniones de traditionibus humanis. Vituperat coniugium, & contumeliosa oratione inse-
cetur, quæ nequaquam digna est Christiano.
Colligit male detortas sententias scripture,
quasi uituperent coniugium, ut: Si secundum
carnem uixeritis, moriemini. & similes, &
expresse dicit, non differre à meretrice nuben-
tem post secundas nuptias. Item, spectandum

PHILIP. MELANTH.

esse, non quid concedat Deus, sed quid uelit,
quasi Deus non uelit coniugium. Postremo ethi-
nico more colligit uulgaria conuicia sexus mu-
liebris, & coniugij, de quibus Christianus longe
aliter sentire debet, qui scit causam infirmitatis
in utroq; sexu esse naturæ corruptionem, &
tamen propter Deum sexui tribuendum esse ho-
norem, & cum Deus non frustra condiderit
hunc sexum, agnoscendum esse opus Dei, & or-
dinationem diuinam magnificiendam. Nec est
minor infirmitas animorum in uiris, in nego-
cijs, quæ uiris commissa sunt. Christianus au-
tem propter Deum fert & mitigat imbecillita-
tem in socijs huius uitæ diuinitus adiunctis, &
cohæribus æternæ gloriæ, & scit Deum uelle,
ut illas curemus, tanquam partem generis hu-
mani, non despiciamus Diabolica superbia.
Hec atq; alia in hanc sententiam in Christiana
disputatione potius dicenda erant, quam ille
scurrilia conuicia sexus & diuinæ ordinatio-
nis.

De discrimine ciborum laudat ritus sine
uerbo Dei institutos, tanquam cultus Dei, Imo
tanquam perfectionem. Ridicula uox est.

E

quam

DE ECCLESIA

quam ponit, Si uis perfectus esse, bonum est nūm non bibere, & carnem non manducare, ubi male detorsit dictum Pauli, qui cum inquit: Bonum est carnem non edere, addit, si frumento noceat exemplum. Cum autem necesse sit, tales superstitiones in Ecclesia reprehendi, parvum enim alios multos errores, prudenter de illis in considerate dictis iudicandum est.

In dialogo contra Pelagium recte disputat, renouationem non fieri tantum viribus liberis arbitrij, sed opus esse auxilio Spiritus sancti. Recte etiam negat Sanctos esse sine peccato, & ponit memorabile dictum: Tunc iusti sumus, quando nos peccatores esse fatemur, & iustitia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei misericordia contingit. Sed postea non sat dicit, peccata Sanctorum intelligit de actualibus peccatis, ut flammis libidinum aut iracundiae, & similibus, non intelligit de interiore & perpetua dubitatione, securitate, concupiscentia. Constat igitur multos esse in scriptis Hieronymi non exiguos lapsus.

De Aug.